

votionis sinceræ meritis, item ob fidelitatis constantiam Jacobi, filii Vlfardi, civis de civitate Graecensi — quibus omnibus studuit complacere, ex consensu et declaratione universorum Nobilium regni Sclavoniae, nobiscum existentium, cameram nostram per totam Sclavoniam, cum omni plenitudine iuris et lucro eiusdem, ad honorem Banatus spectantibus, in festo S. Martini confessoris incipien. usque ad revolutionem eiusdem, pro tercentis marcis denariorum novorum monetae nostrae anno in praesenti cum quinque pensis computatis — nobis persolvendis, eidem Jacobo — duximus collocandum. Datum Zagrabiae in festo sancti Martini. Anno Domini MCCCXLIV.

E charta originali. Kéler Anal. Hist. Tom. I. 225. — Fejér. C. D. H. Tom. 9. Vol. I. p. 255.

LXXXVII.

Anno 1345.

Clemens PP. VI. provinciam Metlikam intra ambitum Dioecesis Zagradiensis esse agnoscit.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monasterii Sanctae Mariae et priori fratrum Ordinis Praedicatorum Zagradiensis, ac Officiali Zagradiensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii Capitulum Ecclesiae Zagradiensis petitione monstrarunt, quod olim ipsi ad Abbatem Monasterii Sanctae Mariae de Toplika, Zagradiensis dioecesis, Apostolicas sub ea forma literas impetrarunt, ut ea, quae de bonis ipsius Ecclesiae idem Abbas alienata inveniret, illicita vel extracta, ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae revocare curaret. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, ac Henricum Commendatorem et fratres domus hospitalis Sanctae Mariae Theotonicorum de Chernomel, dictae dioecesis, fecerunt coram eodem Abbate auctoritate dictarum litterarum ad iudicium evocari, quodam oblato libello, in quo proposuerant, quod scilicet perceptio decimarum provenientium ex fructibus terrarum, possessionum, et aliorum bonorum consistentium in loco dicto, provinciola de Methlika, et eius adherentiis dictae dioecesis, ad eosdem Capitulum de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consuetudine pertineret, et tam ipsi quam praedecessores eorum fuissent in pacifica possessione vel quasi iuris percipiendi dictas decimas, et tempore cuius contrarii memoria non extabat: tamen Henricus Commendator et fratres praedicti, decimas ipsas et possessionem percipiendi easdem tenen. contra iustitiam usurparant et occupant, dictasque decimas perceperant et percipiebant, ac alienatas ac distractas indebite detinebant et detinebant. Quare petebant eosdem Commendatorem et Fratres compelli, desistere ab occupatione, et perceptione dictarum decimarum, dictasque decimas